1464 12/V

Kazimierz rex Poloniae

civitati Wieliczka privilegia confirmat

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie necnon Cracovie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyavie Magnusdux Lithwanie Russie Prussie que necnon Culmensis Elbingensis Konigsbergensis et Pomeranie Terrarum heres et dominus Significamus tenore presencium quibus expedit universis presentibus et futuris harum noticiam habituris Quomodo recensentes et in animo revolventes quanta puritatis affectione et fidei integre constancia Prelati Comites Barones milites proceres nobiles Burgenses ceteri que Subditi et incole Regni nostri Polonie Spirituales et Seculares personam nostram venerati sunt atque dilexerunt Ut tandem felicis memorie Serenissimis principibus dominis Wladislao genitore et Wladislao germano Regibus et predecessoribus nostris carissimis decedentibus Nos tanquam verum heredem et legittimum Successorem ipsis in Regem et dominum voluntatibus concordibus assumpserunt Sacro quoque Regni dyademate insignierunt Cum igitur altissimo dirigente votis eorundem incolarum Regni nostri in nostram Maiestatem deliberate concurrentibus paternum huius sacri Regni Polonie nati sumus solium Dignum ea propter duximus in ipsos incolas oculos pietatis nostre aperire et eis hanc quam dictu et opere veluti athlete fideles in nobis exhibuerunt sinceritatis constanciam gratitudine uti decet compensare Unde ex certa nostra sciencia prehabita sufficientissima deliberacione animo benivolo et voluntate nostra ultronea ipsis prelatis Comitibus Baronibus militibus proceribus Nobilibus Burgensibus ceteris que Subditis et incolis Regni nostri cuiuscunque Status existant Spiritualis vel Secularis et presertim Civitatis nostre Wyeliczka in Terra Cracoviensi site quecunque ipsius iura libertates et emunitates litteras ac privilegia Ecclesiastica et Secularia que a dive memorie prelibatis genitore ac germano aliis que Regibus principibus ducibus et dominis predecessoribus nostris Regni Polonie veris et legittimis heredibus super quibuscunque bonis et libertatibus habere dinoscuntur et habent sub quibuscunque datis in vita ipsorum rite et iuste emanatas libertates et emunitates Spirituales et Seculares in se continentes et quas hic volumus habere pro insertis in omnibus eorum punctis posicionibus articulis et clausulis universis ratificamus innovamus gratificamus approbamus et presentis scripti patrocinio confirmamus decernentes ipsa robur obtinere perpetue firmitatis Promittimus insuper in verbo nostro Regio presentibus et spondemus eorundem Civium et incolarum de Wyeliczka ipsorum huiusmodi iura libertates emunitates litteras et privilegia per omnia rata atque grata habere et inconcussa iugiter et inviolabiliter observare perpetue ac eis satisfacere cum effectu Harum quibus Sigillum nostrum presentibus est subappensum testimonio litterarum Actum Cracovie feria quinta ante festum penthecosten Anno domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto presentibus Reverendo in Christo patre domino Johanne Episcopo Cracoviensi Regni Polonie Cancellario necnon Magnificis et Generosis Johanne de Thanczin Castellano Cracoviensi Johanne de Pylcza Cracoviensi Johanne de Coscyelecz Juniwladislaviensi palatinis Dobeslao Kmytha de Wyssnycze Castellano Lublinensi Johanne de Rithwyany Marschalco Jacobo de Dambno Thezaurario Regni Polonie Johanne de Tharnow Woyniczensi Felice de eadem Tharnow Beczensi Stanislao Wantrobka de Strzelcze Sandecensi Castellanis et aliis quampluribus fidedignis ad premissa Datum per manus prelibati Reverendi in Christo patris domini Johannis Episcopi Cracoviensis Regni Polonie Cancellarii nobis sincere dilecti

Relacio eiusdem Reverendi in Christo patris domini Johannis Episcopi Cracoviensis Regni Polonie Cancellarii

24

Confirmacio R. M. super cuncta privilegia
spiritualia et secularia libertates civitatis attinencia

Jam Scriptum
Habetur in Kona
Fol 47

70.

a 1464